



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Monvmenta Paderbornensia**

**Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>**

**Paderbornae, 1669**

8. Sacravit Primvm Relligionis Opvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11425**

script. hist. Franc. tom. II. Annal. Fuldens. apud Freher. *Ibi* Saxones baptizati ingenuitatem, & omnem proprietatem suam, secundum morem gentis, abdicantes regi tradiderunt, si à die illa, & deinceps Christianitatem, & regi ac filijs fidelitatem abnegassent.

7. HIC LEO ROMANA DEDVCTVS A BVRBE. An. 799. Leo papa à Romanis in Letania majore lingua truncata cruciatus, & per VVirundum Abbatem, & VVini-  
sum Ducem Spoletanum creptus, ad Carolum in Saxonia ad Padaprunno deductus est. Annal. Fuldens. apud Freher. Vita  
Caroli M. per Egolismens. tom. II. script. hist. Franc.  
Astronom. apud Reuberum. Poëta Anonym. Annales incerti  
auctoris apud Pithæum. Regino. Sigonius lib. 4. hist.  
de Regno Italiæ.

8. SACRAVIT PRIMVM RELIGIONIS OPVS. Hujus rei testis est antiquus scriptor vitæ S. Liborij apud Bollandum c. II. pag. 88. §. 5. Nam & vir sanctissimus & verè Apostolicus Papa sedis Romanae, Leo nomine, injusti ci-  
vium odio perpessus, illic eum (Carolum) adiit, pro sedandis contra  
se ortis simultatibus, imperiale opem quæsiturus. A quo cum  
ingenti, ut par erat, honore susceptus, religiosum ejus ac salutare  
Christianitatis dilatandæ studium nobiliter inchoatum, Apostolica  
auctoritate firmavit, atque in Ecclesia tunc ibidem noviter con-  
structa quoddam altare consecrans adorandas in eo reliquias Pro-  
tomartyris Stephani, quas secum Roma detulerat, collocavit;  
fiducialiter id Principi promittens, quod oratorium illud, tanti  
Martyris patrocinio munitum, non ulterius passurum foret inju-  
riam, quam, ipso referente, prius ei contigisse cognovit; ut vide-  
licet ob incolarum loci persidiam, & odium in religionem Christia-  
nam, aliquoties igni traderetur. Et ob hanc maxime causam eas-

N 2

dem

dem reliquias ibi, rogatu Imperatoris, reconditit, non sine effectu congruo fiducie sponsonisque sue, cum nihil tale postmodum illic perpetratum esse certissimum sit. Eadem habet auctor vitæ S. Meinwerci apud Browerum n. 1. pag. 13. Gobelinus Persona in Cosmod. ætat. 6. cap. 38. præterea Ecclesiæ, & Indulgentiarum facit mentionem, his verbis. An. 799. Pontificatus Hatumari primi Episcopi Paderbornensis A. 4. Leo. Papaz. venit ad Carolum in Paderborne, querens de injusta Romanorum persecutione, quem Carolus honorifice suscepit, & rogavit ut Capellam quandam ibi noviter constructam, cum jam Ecclesiam, quam præsens ibidem crexerat, ipsi rebelles vastaverant igne, dignaretur consecrare. Qui precibus regis gratanter suscepit, in eadem Capella altare in honorem S. Stephanii Protomartyris devote consecravit, ac reliquijs ejusdem Martyris, quas secum Roma detulerat, in eodem altari reconditis, visitantibus eandem Capellam in anniversario dedicationis ipsius, qui est VIII. Decemb. de benignitate Sedis Apostolice magnas indulgentias concessit, & sedem ibidem Episcopalem auctoritate Apostolica confirmavit. Vid. ad hæc Cranzium Metrop. lib. 1. cap. xi. Casp. Bruschium, & Kerffenbrochium in catalogo Ep. Paderb.

9. HIC SEDES LONGO FVIT ORDINE DEINDE SECVTIS. Vnde non immerito ab Erinnero, qui vitam S. Heimeradi presbyteri, tutelaris Hasungensis, versibus descripsit, appellatur *SEDES REGALIS*. Sic enim ille ingressus sermonem de B. Heimeradi cum Meinwerco antistite congressu.

*Est locus egregius Patherbrunnen vocitatus,  
Is quoque REGALIS SEDES, & Pontificalis.*

Hactenus illa produximus, quibus Paderborna à Carolo M. celebrata, nunc uti à cæteris Imperatoribus ac Regibus